



**D. D. Emanuelis Gonzalez Tellez, In Inclyta Salmanticensi
Academia Collegii Majoris Conchensis Alumni, &
antiquioris vespertinæ Sacrorum Canonum Cathedræ
proprietarii Interpretis; in Pinciano Sanctæ ...**

Additis Notis uberioribus ab Historia, & Chorographia

Complectens Librum Qvintum

**González Téllez, Emanuel
Francofurti Ad Moenum, 1690**

Capvt IX. Idem E. tit. sancti Laurent. in Luciana presbytero a Card. Ap.
Sed. Legato.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74544](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-74544)

probat Vicecomes lib. 5. de ritibus Baptismi. cap. 34. & expressius D. Dionysius de ecclesiast. hierarch. cap. de baptismo, ibi: *Ducunt ad hierarcham: is cum virum unguento quod maximè divinos efficit, insignivit, Eucharistiaq. vim maximam habet perficiendae, sanctitatis participem esse pronuntiat.* Severus Alexandrinus de baptismo, ibi: *Elevant baptizatos ad altare, eisque dant Mysteria, Eucharistiam, & sertis coronat eos sacerdos.* Hugo Victorinus lib. 1. de sacram. cap. 20. ibi: *Exinde datur baptizato ve-*

bris candide ad ultimum datur cereus ardens: omnibus iis novus homo in utero marris Ecclesia inchoatur, provehitur, consummatur, & universitati Ecclesie aggregatur. Illustrant Vicecomes d.c. 24. c.n. duob. sequentibus, Brissoni in l. die Dominic. C. despectac. e Festivitatibus.] Videlicet in tribus festivitatibus Paschalibus, & feeria. Cœna Domini, cap. si non frequentius, cap. in corona, de consecr. dist. 2. Concil. Aquilagran. can. 22. Illustrat Mendoza lib. I. Concil. Illiber. cap. 6. ubi etiam id notavi.

5.

C A P V T IX.

Idem E. tit. sancti Laurent. in Lucina presbytero a Card. Ap.
Sed. Legato.

Officij: Et infra: Significasti nobis præterea, quandam mulierem in poenitentia' fuisse confessam, quod timens, ne viri possessio devolveretur ad alios, inducta cujuſdam consilio venefice mulieris, quarundam herbarum quotidie succum portabat, & sic ejus venter intumuit, & inde gravidam se ostendens, tandem sibi partum supposuit alienum; timensque maritum, non vult illud facinus ipſi detegere, qui problem credit sine dubitatione qualibet esse suam. Quoniam igitur per nostras postulas literas edoceri, utrum ei hac fraude durante sit poenitentia injungenda? inquisitioni tuæ taliter respondemus, quod sicut mulieri, quæ ignorante marito de adulterio problem suscepit, quamvis id viro suo timeat confiteri, non est poenitentia deneganda; ita neque illi debet poenitentia denegari, maximè si per alios, intelligas b alienos, ad quos timeat possessionem viri devolvi; sed competens satisfactio per discretum sacerdotem ei debet injungi.

N O T Æ.

a **C**ardinali. Ita etiam legitur in cap. 2. hoc tit. in 2. collect. & in cap. officij, de elect. cap. officij de testam. ubi extant aliae partes hujus decretalis, ubi jam notavi.

I. b **A**lienos. Ut alienus pro alio in l. 3. de rei vindic. & alius pro alieno in l. famosis 7. ff. ad leg. Iul. majest. ex D. Augustino, & Plauto illustravit Cuiacius lib. 22. Digest. Iul. in l. 3. ff. de novo oper. nunc.

C O M M E N T A R I U M.

2. **C**um nemo teneatur se prodere cum vita aut famae iactura, & detimento, ut probant Gibalinus de censur. disquisit. 2. q. 5. confess. 6. Bronchorst. cent. 2. assert. 60. Prado tom. 2. Theolog. Mor.

cap. 18. quest. 4. ideo mulier, quæ partum suppeditavit, aut ex adulterio filium procreavit, non tenetur marito id revelare cum apero periculo vita, & jactura honoris, ut probant Covar. in regula pecatum, I. part. de R. I. in 6. Sylvester in Summa, verbo Adulterium, quest. 31. Sotus de iustitia lib. 4. quest. 7. art. 2. Balboa in cap. I. de except. num. 41. Fornerius lib. 6. rer. quosid. cap. 16. Diana part. II. tract. 2. resol. 33. & tract. 6. resol. 5. qui varios causus forentes, & quotidianos resolvit, et si dissennat Mancinus lib. 2. genital. cap. 16. Unde recte decrevit Innocent. III. in præfenti audiendam esse confessionem illius mulieris, quæ partum suppeditavit, vel adulterium perpetravit, & non vult id detegere marito, et si agnoscat partum suppositum, vel filium adulterinum ad ejus hæreditatem vocari.

C A P U T X.

Idem a Palentin. & b Burgen. Episcopis, & Abbatu de Morismundo Cistercien. Ordinis.

Nova quedam nuper, de quibus miramur non modicum, nostris sunt auribus intimata, quod Abbatis videlicet in Burgen. & Palentin. diœcessibus constitutæ moniales proprias c benedicunt, ipsarumque d confessiones criminalium audiunt, & legentes Evangelium præsumunt publicè prædicare. Cum igitur id absolum sit pariter, & absurdum, nec à nobis aliquatenus sustinendum: discretioni vestra per Apostolica scripta mandamus, quatenus ne id de cætero fiat, auctoritate curetis Apostolica firmiter inhibere. Quia licet Beatisima Virgo & Maria dignior & excellentior fuerit Apostolis universis, non tamen illi, sed istis Dominus claves regni colorum commisit. Datum Later. idibus Decembris, anno XIII.

N O T Æ.